



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Haud minor in vitæ suæ institutione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

absolutio, ac summa proueniat, eum ego extra humanorum fortem ingeniorum posuerim.

*Haud minor in
vita sua insti-
tutione.*

Gemina in cultu virtutis ratio, comparq; iudicium erat, sincerum, exactum, atque adeò scrupulosius citra angorem. Nimirum Maiestatis sacrosanctæ Numinis notitia ad cultum eius accuratorem, & Theologica subtilitate ad exigendum ab se seuerius officium, nõ ad vlla ex parte laxandum (quod quidam peruersissime faciunt) utebatur. Prudentia siue in administratione domestica, siue in iuuandis animis, præsertim in excogitandis viis tum conseruandæ, tum restituendæ religionis Catholicæ fane multa. His dotibus strenua nauitas, & solers addebatur industria. Laborum ad miraculum patientia. Temporis quantum cuiusquam pecuniarum, auaritia: vel inter cibum seria dictare, & inter arduas peregrinationes opera, quæ summam quietem poscerent, commentari, iudicare, literis consignare: multa simul moliri, Prouinciam regere, publicis religionis rebus grauissimis occupari, concionari, scribere: quæ singula quamuis naui hominis capacitatem expleant.

Prudentia.

*Patientia laborum.
Temporis parsimonia.*

Occupationes plurimæ.

*Figura corporis
græua.*

Accedebat illo digna animo, ingenioq; figura corporis.